

quantitatis individui, & ad multiplicationem quæ fit per generationem, necesse habet ponere aliquid de hoc in quod conversum est alimentum, resurgere; non tamen totum, sed solum quantum indiget ad perfectam reintegrationem naturæ humanæ in omnibus suis individuis: unde ponit hæc opinio, quod totum illud quod fuit in substantia seminis, resurget in illo homine qui ex illo semine generatus est, quia hoc est principaliter de veritate humanæ naturæ in ipso. De eo autem quod postea advenit per nutrimentum, tantum resurget in eo, quantum est necessarium ad perfectionem quantitatis, & non totum: quia hoc non pertinet aliter ad veritatem humanæ naturæ nisi quatenus natura indiget eo ad perfectionem quantitatis. Sed quia hoc humidum nutrimentale fluit, & refluit, hoc ordine reparabitur quod illud quod fuit de substantia corporis hominis, totum reparabitur, & de eo quod secundo, & tertio, & deinceps advenit, quantum necessarium est ad quantitatem reintegrandam duplici ratione. Primo, quia super hoc quod advenit inductum fuit, ut illud quod primo erat deperditum repararetur; & ideo non ita principaliter pertinet ad veritatem humanæ naturæ sicut præcedens. Secundo, quia adjunctio extranei humidi ad primum humidum radicale facit quod totum permixtum non ita perfecte participet veritatem speciei sicut primum participabat, ut ponit exemplum Philosophus in I. de generat. text. lxxxviii. de aqua permixta vino, quæ semper ejus virtutem debilitat, ita quod in fine ipsum aquosum redit. Unde sicut secunda aqua, quamvis assumatur in speciem vini, non tamen ita perfecte speciem vini participat sicut prima quæ in vinum assumebatur; ita quod de alimento secundo in carnem convertitur, non ita perfecte attingit ad speciem carnis sicut primo convertebatur: & ideo non ita pertinet ad veritatem humanæ naturæ, nec ad resurrectionem. Sic ergo patet quod hæc opinio ponit resurgere totum id quod est de veritate humanæ naturæ principaliter, non autem totum quod est de veritate humanæ naturæ secundario.

Tertia autem opinio quantum ad aliquid differt à secunda, & quantum ad aliquid convenit cum ea. Differt quidem quantum ad hoc quod ponit totum quod est sub forma carnis, & ossis, eadem ratione ad veritatem humanæ naturæ pertinere: quia non distinguit aliquid materiale signatum permanens in homine toto tempore vitæ ejus, quod per se pertinet ad veritatem humanæ naturæ, & primo; & aliquid fluens, & refluens, quod pertinet ad veritatem humanæ naturæ solum propter quantitatis perfectionem, non propter primum esse speciei, sicut secunda opinio dicebat: sed ponit omnes partes quæ non sunt præter intentionem naturæ aggeneratæ, pertinere ad veritatem humanæ naturæ quantum ad id quod habent de specie, quia sic manet; non autem quantum ad id quod habent de materia, quia sic fluunt, & refluant indifferentem, ut ita etiam intelligamus contingere in partibus hominis unitis sicut contingit in tota multitudine civitatis; quia singuli subtrahuntur à multitudine per mortem, aliis in locum eorum succedentibus: unde partes multitudinis fluunt, & refluant materialiter: sed formaliter manent, quia ad eadem officia, & ordines substituantur alii, à quibus priores subtraherentur: unde de reipublica una numero manere dicitur. Et similiter etiam dum quibusdam partibus fluentibus aliæ reparantur in eadem figura, & in eodem situ, omnes

(1) Al. & redeunt. (2) In Supplement. loc. cit. art. 4. concordat cum illa, aliis omissis.

partes fluunt (1) & refluant secundum materiam, sed manent secundum speciem; manet nihilominus unus homo numero. Sed convenit tertia cum secunda opinione, quia ponit quod partes secundo advenientes non ita perfecte pertingunt ad veritatem speciei sicut quæ primo advenierunt: & ideo idem quod ponit resurgere in homine secunda opinio, ponit tertia, sed non penitus eadem ratione. Ponit enim, totum illud quod ex semine generatum est, resurgere, non quia alia ratione pertinet ad veritatem humanæ naturæ quam hoc quod postea advenit, sed quia perfectius virtutem speciei participat; quem ordinem ponebat secunda opinio in his quæ postea advenierunt ex alimento: in quo etiam hæc opinio (2) concordat cum alia, scilicet secunda.

Ad primum ergo dicendum, quod res naturalis non est id quod est, ex sua materia, sed ex sua forma: unde quamvis illud materiam quod quandoque fuit forma carnis bovina, resurget in homine sub forma carnis humanæ, non sequitur quod resurget caro hominis: ita enim etiam posset concludi quod resurgetur limus, de quo formatum est corpus Adæ. Tamen prima opinio concedit hanc rationem.

Ad secundum dicendum, quod costa illa non fuit in Adam de perfectione individui, sed ordinata ad multiplicationem speciei: unde non resurget in Adam, sed in Eva, sicut & semen non resurget in generante, sed in generato.

Ad tertium dicendum, quod secundum primam opinionem facile est ad hoc respondere: quia carnes comestæ numquam sunt de veritate humanæ naturæ in comedente; fuerunt autem de veritate humanæ naturæ in eo cuius carnes comeduntur: & ita resurgent in primo, & non in secundo. Sed secundum secundam opinionem, & secundum tertiam unusquisque resurget in illo in quo magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei; & si æqualiter in utroque accesserit, resurget in illo in quo primo fuit: quia in eo primo habuit ordinem ad resurrectionem ex conjunctione ad animam rationalem illius hominis: & ideo si in carnibus comestis fuit aliqua superfluitas quæ non pertinet ad veritatem humanæ naturæ in primo, resurgere poterit in secundo; alias illud quod pertinebat ad resurrectionem in primo, resurget in eo, & non in secundo; sed in secundo, loco ejus sumetur vel aliquid de eo quod ex aliis cibis in carnem secundi conversum est; vel si nullo cibo umquam pastus fuisset nisi carnibus humanis, divina virtus aliunde suppleret quantum indiget ad perfectionem quantitatis, sicut supplet in illis qui ante perfectam ætatem decedunt. Nec per hoc aliquid præjudicatur identitati in numero, sicut nec præjudicatur per hoc quod partes secundum materiam fluunt, & refluant.

Ad quartum dicendum, quod secundum primam opinionem facile est solvere: quia ponit quod semen non est ex superfluo alimenti, unde carnes comestæ non transeunt in semen, ex quo pueri generantur. Sed secundum alias duas opiniones dicendum est, quod non est possibile quod totum quod fuit in carnibus comestis, in semen convertatur: quia post multam depurationem cibi pervenitur ad decoctionem seminis, quod est superfluitas ultimi cibi. Illud autem quod de carnibus comestis in semen convertitur, magis pertinet ad veritatem humanæ naturæ in eo qui ex semine nascitur, quam in illo ex cuius carnibus semen est generatum: & ideo, secundum regulam prius datam, hoc quod in semen conversum est, resur-

surget in eo qui ex semine nascitur; residuum autem materiam resurget in illo ex cuius carnibus comestis semen est generatum.

Ad quintum dicendum, quod embrya non pertinent ad resurrectionem ante animationem per animam rationalem: in quo statu jam multum advenit supra substantiam seminis de substantia nutrimenti, quia puer in utero matris nutritur: & ideo si aliquis embryus vescatur, & ex superfluo illius cibi generetur aliquis, illud quod erit in substantia seminis, resurget quidem in eo qui ex semine generatur, nisi in illo contineretur aliquid quod fuisset de substantia seminum in illis ex quorum carnibus comestis semen generatum est, quia hoc resurgeret in primo, & non in secundo; residuum autem carni comestæ, quod non est conversum in semen, constat quod non resurget in primo, utriusque divina potentia supplente quod deest. Prima autem opinio hac objectionem non arctatur, cum non ponat semen esse ex superfluo alimenti; sed alie multæ rationes sunt contra eam, ut in II. Lib. dist. xxx. quæst. 11. art. 2. patuit.

## SOLUTIO V.

Ad quintam questionem dicendum, quod illud quod est materialiter in homine, non habet ordinem ad resurrectionem, nisi secundum quod pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quia secundum hoc habet ordinem ad animam rationalem. Illud autem totum quod est in homine materialiter, pertinet quidem ad veritatem humanæ naturæ quantum ad id quod habet de specie; sed non totum considerata materie totalitate, quia tota materia quæ fuit in homine à principio vitæ usque ad finem, excederet quantitatem debitam speciei, ut tertia opinio dicit, quæ probabilior inter ceteras mihi videtur: & ideo totum quod est in homine, resurget considerata totalitate speciei, quia attenditur secundum quantitatem, figuram, situm, & ordinem partium; non autem resurget totum considerata totalitate materie. Secunda autem opinio, & prima non utuntur hac distinctione; sed distinguunt inter partes, quarum (1) utraque habent speciem, vel materiam. Conveniunt autem hæc duæ opiniones in hoc quod utraque dicit, quod illud quod est ex semine generatum, totum resurget etiam totalitate materie considerata. Differunt autem in hoc quod de eo quod ex alimento generatur, nihil resurgere ponit prima opinio; secunda vero aliquid ejus resurgere ponit, & non totum, ut ex dictis patet.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut quidquid est in aliis partibus corporis, resurget considerata totalitate speciei, non autem considerata totalitate materie; ita etiam est de capillis. In aliis autem partibus advenit aliquid ex nutrimento quod facit augmentum, & hoc computatur ut alia pars, considerata totalitate speciei, quia obtinet alium locum, & situm in corpore, & substatur aliis partibus dimensionis; aliquid autem advenit quod non facit augmentum, sed cedit in restaurationem deperditi in nutriendo, & non computatur ut alia pars totius secundum speciem considerati, cum non obtineat alium locum, vel situm in corpore, (2) quam pars quæ defluxit tenebat; quamvis possit alia pars computari considerata totalitate materie; & similiter est de capillis. Augustinus ergo loquitur de incisionibus capillorum, (3) quæ erant partes facientes augmentum: & ideo oportet quod resurgat, non tamen in quantitate capillorum.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Supplementum ubi supra art. 5. utraque habet. (2) Al. quem pars quæ defluit. (3) Supplementum quia.

rum, ne sit quantitas immoderata, sed in aliis partibus, ut necessarium iudicabit divina providentia. Vel loquitur in casu illo quando aliis partibus deficientibus enim eorum defectus locentur ex superfluitatibus capillorum reparari.

Ad secundum dicendum, quod secundum tertiam opinionem eadem sunt partes secundum speciem, & secundum materiam. Non enim illa distinctione utitur Philosophus in I. de gen. text. xxxv. & deinceps ad distinguendum diversas partes, sed ad ostendendum quod eadem partes possunt considerari & secundum speciem quantum ad id quod est forma, & speciem in ipsis, & secundum materiam quantum ad id quod subest formæ, & speciei. Constat autem quod materia carnis non habet ordinem ad animam rationalem, nisi in quantum est sub tali forma: & ideo ratione ejus habet ordinem ad resurrectionem. Sed prima, & secunda opinio, quæ ponunt alias esse partes quæ sunt secundum speciem, & alias quæ sunt secundum materiam, dicunt quod anima, quamvis utrasque partes perficiat, tamen perficit partes secundum materiam, medianibus partibus secundum speciem; & ideo non æqualiter habent ordinem ad resurrectionem.

Ad tertium dicendum, quod in materia generabilium, & corruptibilium dimensiones interminatas oportet intelligere ante receptionem formæ substantialis: & ideo divisio quæ est secundum huiusmodi dimensiones, proprie pertinet ad materiam; sed quantitas completa, & terminata advenit materie post formam substantialem: unde divisio quæ fit secundum dimensiones terminatas, respicit speciem, præcipue quando ad resurrectionem speciei pertinet determinatus situs partium, sicut est in corpore humano.

## ARTICULUS III.

Utrum omnes resurgent in eadem ætate, scilicet juvenili.

III. P. quæst. xlvi. art. 9. ad 4. & Lib. IV. contra Gent. cap. lxxxviii.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non omnes resurgent in eadem ætate, scilicet juvenili. Quia Deus resurgentibus, præcipue beatis, nihil subtrahit quod ad perfectionem hominis pertinet. Sed ætas pertinet ad perfectionem hominis, cum senectus sit venerabilis ætas. Ergo senes non resurgent in ætate juvenili.

2. Præterea. Ætas computatur secundum mensuram temporis præteriti. Sed impossibile est tempus quod fuit præteritum, non præteruisse. Ergo impossibile est eos qui majoris ætatis fuerunt, ad ætatem juvenilem reduci.

3. Præterea. Illud quod magis fuit de veritate humanæ naturæ in unoquoque, maxime resurget in eo. Sed quanto aliquid primo fuit in homine, tanto videtur magis ad veritatem humanæ naturæ pertinuisse, quia in fine propter virtutem speciei debilitatam comparatur vino aquoso corpus humanum, ut patet per Philosophum in I. de generat. text. lxxxviii. Ergo si omnes debent in eadem ætate resurgere, magis decet quod resurgant in ætate puerili quam juvenili.

Sed contra est quod dicitur Ephes. iv. 13. Donec curramus omnes . . . in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sed Christus resurrexit in

Et æta-

etate juvenili, quæ circa triginta annos incipit, ut Augustinus dicit (Lib. XXII. de Civit. Dei cap. XLIII.) Ergo & alii in ætate juvenili resurgent.

Præterea. Homo in maxima perfectione naturæ resurget. Sed natura humana perfectissimum statum habet in ætate juvenili. Ergo in illa ætate resurgent omnes.

### QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod omnes resurgent ejusdem stature. Sicut enim homo mensuratur quantitate dimensionis, ita quantitate durationis. Sed quantitas durationis in omnibus reducitur ad eandem mensuram, quia omnes in eadem ætate resurgent. Ergo quantitas dimensionis in omnibus reducitur ad eandem mensuram, ut in eadem statura omnes resurgant.

2. Præterea. Philosophus dicit in II. de Anima (text. XLII.) quod omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti. Sed ille terminus non est nisi ex virtute formæ, cui debet congruere quantitas, sicut & omnia alia accidentia. Ergo cum omnes homines habeant eandem formam specificam, in omnibus debet esse secundum naturam eadem quantitas mensura, nisi sit error. Sed error naturæ corrigetur in resurrectione. Ergo omnes resurgent in eadem statura.

3. Præterea. Quantitas resurgentis non poterit esse proportionata virtuti naturali, quæ primo corpus formavit: nam alii qui non potuerunt ad majorem quantitatem perducere virtuti naturæ, nunquam in majore quantitate resurgent; quod falsum est. Ergo oportet quod quantitas illa proportionetur virtuti reparanti corpus humanum per resurrectionem, & materiæ de qua reparatur. Sed virtus reparans omnia corpora est eadem numero, scilicet virtus divina; cineres autem omnes, ex quibus reparantur humana corpora, se habent æqualiter ad suscipiendam actionem prædictæ virtutis. Ergo ad eandem quantitatem terminabitur resurrectio omnium hominum; & sic idem quod prius.

Sed contra. Quantitas naturalis sequitur naturam uniuscujusque individui. Sed in resurrectione non variatur natura individui. Ergo nec quantitas naturalis ejus. Sed non est eadem quantitas naturalis omnium hominum. Ergo non omnes resurgent in eadem statura.

Præterea. Natura humana reparabitur per resurrectionem ad gloriam, vel ad poenam. Sed non erit eadem quantitas gloriæ, vel poenæ in omnibus resurgentibus. Ergo nec eadem quantitas naturæ.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod omnes resurgent in sexu virili. Quia dicitur Ephes. IV. quod occurremus omnes in virum perfectum. Ergo non erit ibi nisi virilis.

2. Præterea. In futuro omnis cessavit prælatio, ut dicit Glossa I. Corinth. XV. Sed mulier naturali ordine subdita est viro. Ergo mulieres non resurgent in sexu muliebri, sed virili.

3. Præterea. Illud quod est occasionaliter, & præter intentionem naturæ inductum, non resurget: quia in resurrectione omnis error tollitur. Sed sexus muliebrius est præter intentionem naturæ inductus ex defectu virtutis formativæ in semine, quæ non potest perducere materiam concepti ad perfectionem virilem: unde dicit Philosophus in XVI. de animalibus, vide-

(1) Al. deferetur.

licet Lib. II. de gener. animal. cap. III. quod femina est mas occasionatus. Ergo sexus muliebrius non resurget.

Sed contra est quod dicit Augustinus XXII. de Civit. Dei cap. XLIII. Melius sapere videntur qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant.

Præterea. Deus reparabit in resurrectione quod in homine fecit in prima conditione. Sed ipse fecit mulierem de costa viri, ut patet Genes. II. Ergo ipse sexum femininum in resurrectione reparabit.

### QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod resurgent in vita animali, ut scilicet urantur actu nutritivæ, & generativæ. Quia resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi. Sed Christus post resurrectionem legitur comedisse, ut patet Joan. ult. & Luc. ult. Ergo & homines post resurrectionem comedent, & eadem ratione generabunt.

2. Præterea. Distinctio sexuum ad generationem ordinatur, & similiter instrumenta quæ deserviunt virtuti nutritivæ, ordinantur ad comestionem. Sed homo cum omnibus hujusmodi resurget, ut ex supra dictis patet. Ergo utetur actibus virtutis generativæ, & nutritivæ.

3. Præterea. Totus homo beatificatur & secundum animam, & secundum corpus. Sed beatitudo, sive felicitas secundum Philosophum, X. Ethic. cap. VI. vel IX. in propria operatione consistit. Ergo oportet quod omnes potentie animæ, & omnia membra sint in suis actibus in beatis post resurrectionem; & sic idem quod prius.

4. Præterea. In beatis post resurrectionem erit beata, & perfecta jucunditas. Sed talis jucunditas omnes delectationes includit: quia beatitudo est status omnium bonorum congregatione completus, ex Boetio III. Lib. de Consolat. pros. II. & perfectum est cui nihil deest. Cum ergo in actu virtutis generativæ sit, nutritivæ magna delectatio videtur quod tales actus ad vitam animalem pertinentes in beatis erunt, & multo fortius in aliis qui minus spiritualia corpora habebunt.

Sed contra est quod dicitur Math. XXII. 30. In resurrectione neque nubent, neque nubentur.

Præterea. Generatio ordinatur ad subveniendum defectui qui per mortem accidit, & ad multiplicationem humani generis, & comestio ad restaurationem perditum, & ad augmentum quantitatis. Sed in statu resurrectionis jam humanum genus habebit totam multitudinem individuorum à Deo præfinitam: quia usque ad hoc generatio (1) deferretur, ut ex præcedenti distinctione, quæst. I. art. 3. in corp. patet: similiter etiam quilibet homo resurget in debita quantitate: nec erit ultra mors, aut aliqua deperditio fiet à partibus hominis. Ergo frustra esset actus generativæ, & nutritivæ virtutis.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ: quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter. Uno modo quia nondum perfectionem ultimam est consecuta; alio modo quia ab ultima perfectione jam recessit: & primo modo deficit in pueris, secundo modo deficit in senibus: & ideo

ideo in utriusque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis, qui est in juvenili ætate, ad quam terminatur motus augmenti, & à qua incipit motus decrementi.

Ad primum ergo dicendum, quod ætas senectutis habet reverentiam, non propter conditionem corporis, quod in defectu est, sed propter sapientiam animæ, quæ ibi esse præsumitur ex temporis antiquitate: unde in electis manebit reverentia senectutis propter plenitudinem divinæ sapientiæ, quæ in eis erit; sed non manebit senectutis defectus.

Ad secundum dicendum, quod non loquimur de ætate quantum ad numerum annorum, sed quantum ad statum qui ex annis in corpore humano relinquuntur: unde Adam dicitur in ætate juvenili formatus propter talem corporis conditionem quam primo die formationis suæ habuit: & ideo ratio non est ad propositum.

Ad tertium dicendum, quod virtus speciei dicitur esse perfectior in puero quam in juvene quantum ad efficaciam agendi conversionem alimenti aliquo modo, sicut etiam est perfectior in semine quam in homine completo; sed in juvenibus est perfectior quantum ad terminum complementi: unde illud quod maxime ad naturæ veritatem pertinuit, ad illam perfectionem reducitur quam habet in ætate juvenili, non ad illam quam habet in ætate puerili, in qua humores adhuc non pervenerunt ad ultimam digestionem.

### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod in resurrectione non reparabitur humana natura solum quantum ad idem speciem; sed etiam quantum ad idem numero; & ideo in resurrectione non solum attendendum quid competat naturæ speciei, sed quid competat naturæ individui. Natura autem speciei habet aliquam quantitatem quam nec excedit, nec ab ea deficit absque errore; quæ tamen quantitas habet aliquos gradus latitudinis, & non est accipienda secundum unam mensuram determinatam. Unumquodque autem individuum in specie humana assequitur infra terminos illius latitudinis aliquem gradum quantitatis quæ competit naturæ individui, & ad hanc perducitur in termino augmenti, si non fuit aliquis error in opere naturæ, per quem sit aliquid additum, vel subtractum prædictæ quantitati: cuius quidem mensura accipitur secundum proportionem caloris extendentis, & humiditatis extensibilis, quod non est ejusdem virtutis in omnibus. Et ideo non omnes resurgent in eadem quantitate, sed quilibet resurget in illa quantitate in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset, vel defecisset: quod autem superest, vel quod deficit in homine, resecabit, vel supplebit divina potentia.

Ad primum ergo dicendum, quod jam patet ex dictis quod non dicuntur omnes in eadem ætate resurgere, quasi omnibus competat eadem quantitas dimensionis, sed quia idem status perfectionis erit in omnibus: qui quidem status salvari potest in magna, & parva quantitate.

Ad secundum dicendum, quod quantitas hujusmodi individui non solum responderet formæ speciei, sed etiam naturæ individui, ut ex dictis patet: & ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod quantitas resurgentis non proportionatur virtuti reparanti, quia illa non est de natura corporis, nec omnibus secundum statum illum in quo sunt ante resurrectionem; sed natura. In IV. Sent. Tom. V.

turæ quam primo individuum habebat. Tamen si virtus formativa propter aliquem defectum non poterat perducere ad debitam quantitatem quæ competit speciei, divina virtus supplebit in resurrectione defectum, sicut patet de nanis: & eadem ratio est de illis qui immoderatæ magnitudinis fuerunt ultra debitam naturæ.

### SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod sicut considerata natura individui, debetur quantitas diversa diversis hominibus; ita considerata natura individui, debetur diversis diversus sexus: & hæc etiam diversitas competit perfectioni speciei, cuius diversi gradus implentur per dictam diversitatem sexus, vel quantitatis. Et ideo sicut resurgent homines in diversis staturis, ita in diversis sexibus: & quamvis sit differentia sexuum, deest tamen confusio naturæ visionis: quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causetur.

Ad primum ergo dicendum, quod dicuntur omnes Christo occurrere in virum perfectum non propter sexum virilem, sed propter virtutem animi, quæ erit in omnibus & viris, & mulieribus.

Ad secundum dicendum, quod mulier subditur viro propter imbecillitatem naturæ quantum ad vigorem animi, & quantum ad robur corporis; sed post resurrectionem non erit differentia in his secundum diversitatem sexuum, sed magis secundum diversitatem meritum: & ideo ratio non procedit.

Ad tertium dicendum, quod quamvis femine generatio sit præter intentionem naturæ particularis, est tamen de intentione naturæ universalis, quæ ad perfectionem humanæ speciei utrumque sexum requirit; nec ex sexu erit ibi aliquis defectus, ut ex dictis patet.

### SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod resurrectio non erit necessaria homini propter primam perfectionem ipsius, quæ consistit in integritate eorum quæ ad naturam spectant, quia ad hoc homo pervenire potest in statu præsentis vitæ per actionem causarum naturalium; sed necessitas resurrectionis est ad consequendam ultimam perfectionem, quæ consistit in perventione ad finem ultimum, ut in præcedenti distinct. dictum est: & ideo illæ operationes naturales quæ ordinantur ad primam perfectionem humanæ naturæ vel causandam, vel servandam, non erunt in resurrectione; & hujusmodi sunt actiones animalis vitæ in homine, & actiones naturæ in elementis, & motus cæli; & ideo omnia hæc cessabunt in resurrectione. Et quia comedere, & bibere, & dormire, & generare ad animalem vitam pertinent, cum sint ad primam perfectionem naturæ ordinata, in resurrectione talia non erunt.

Ad primum ergo dicendum, quod illa comestio qua Christus comedit, non fuit necessitatis, quasi cibis indigeret humana natura post resurrectionem; sed fuit potestatis, ut ostenderet se veram naturam humanam resumpsisse, quam prius habuerat in statu illo, quando cum discipulis comederat, & biberat. Hæc autem ostensio non erit necessaria in resurrectione communi, quia omnibus notum erit. Et ideo dicitur dispensative Christus manducasse eo modo loquendi quo Juristæ dicunt, quod dispensatio est communis juris relaxatio: quia Christus intermisit hoc quod est communiter resurgendum, scilicet non uti-